

/ Ill^{me} et R^{me} Domine, Domine colendissime,

Ad litteras Dominationis Vestrae Ill^{mae} serius respondeo, quia
volui expectare exitum negotii ab ipsa mihi demandati. Ego igitur
continuo adii Sanctissimum Patrem nostrum, et de necessitate no-
5 vae editionis bibliorum egi. Sanctitas sua mihi respondit velle se
de hac re agere, ut moris est, cum sacra Congregatione Sancti Of-
ficii, cuius congregationis ego sum unus. Communicavit tandem San-
ctissimus cum Congregatione; et mihi iniunxit, ut significarem
nomine suo patri praeposito generali Societatis Iesu, ut ipse de-
10 signaret quatuor viros doctos e Societate, qui assisterent huic
operi, et versionem novam bibliorum lingua istic vulgari edendam
approbarent. Feci quod iussus sum, sed pater generalis illos ip-
sos nominavit, qui iam in hoc opere Dominationi Vestrae Ill^{mae} ser-
viebant, quibus adiunget quartum, si invenire potuerit, qui et
15 linguam hungaricam teneat, et de his rebus iudicare possit. Quod
reliq uum est, nos magno desiderio tenemur, fruendi aliquando prae-
sentia Ill^{mae} personae vestrae, et simul compatimur magnis, sed
piis laboribus vestris in excolenda vinea ista partim sylvescente
Ps. 79. 14 ob incuriam praedecessorum, partim ab Apro de Sylva misere devas-
20 tata. Mihi vero nihil gratius accidere potest, quam ut occasionem
inveniam serviendi Dom^{tioni} Vestrae Ill^{mae} cui ea, qua par est, hu-
militate, et reverentia manus deosculor, et precor a Deo omnem pro-
speritatem. Datum Romae die 14 Ianuarii 1612.